



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In festo SS. Omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

In Festo SS. Omnium.

Quia in hoc mundo præmium cœleste cognoscere non possumus nisi per quosdam circuitus, & similitudines, cogitationes perfectionum demendo ab illis imperfectiones. Dyon. Arcop. *Impossibile est nobis aliter lucere Divinum lumen nisi velamine figurarum fuerit circumvelatum.* Creavit DEUS ad hoc creaturas, ut nos ex illis velut pueri literulas, id est perfectiones colligendo, verba aliqua formare possimus. S. Th. de Villan. conc. de S. Aug. *Mundus iste sensibilis non solum in ministerium, sed & in magisterium hominibus datus est, ut in visibilibus istis visibilia discant.* Hinc Aug. 10. confessio. Dum quærit quid sit DEUS, & singulos ad hoc sensus adhibet, & respondet, non esse DEUM coloratum, sonorum, &c. Et 10. Confess. 6. Interrogat singula elementa & respondent illi quod ipsa non sunt DEUS; tum ille. *Dixistis mihi de DEO meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magnâ, ipse fecit nos, & pergit. Quid autem amo cum te DEUS amo? non speciem corporis, non decus temporis, &c. Non hæc amo, & tamen amo quandam lucem, quandam vocem, quandam odorem, &c. dum amo DEUM meum.* Et sic aliquam voculam de DEO componit. S. Th. villan. l. c. *O quàm decora litera Sol! quàm pulchræ literæ Luna, stella, orbes, mare, bestia, pisces, quas in hoc mundo ut in puerorum pagina, cœlestis ille scriba depinxit, nobisque proposuit legendas! &c. Quid noster discursus est nisi laboriosa literarum compositio? Componam creaturarum perfectiones, ut aliquid dicam de Sanctorum illa felicitate.*

Beati mundo corde. S. Th. Villan. conc. de S. Ildefonso. *Effugie omnem iniquitatem Spiritus DEI, sed ab hoc fado turpique contagio luxuriæ, amplius elongatur, propterea quod præter ipsam*
crimini

crimini deformitatem annexam habeat turpitudinem quandam spiritus decori maxime contrariam. Itaque mundum cor magis accedit ad spiritum, &c. &c.

Pro Fidelibus Defunctis.

Tanta est poena purgatorii, ut S. Th. ut 4. dist. 21. a. 1. affirmet, minimam poenam purgatorii excedere maximam hujus vitae. Quia quod creatura est nobilioris naturae, tanto poena illi inflata est gravior, anima verò est nobilior omni corpore, in hac vita corpori non animae infertur sensus poena. Præterea poena quanto universalior tanto major, at verò in anima nihil est quod in purgatorio non affligatur. Præterea quæ fiunt miraculosè, fiunt meliora, potentiora, sic vinum in Cana Galilææ fuit quovis alio vino melius, panis allatus Eliæ per Angelum, ita confortavit ut illo semel comesto ambulaverit quadraginta diebus & totidem noctibus, ustio verò animæ ab igne materiali est miraculosa, ignis ille ex se est vehementissimus, quia ut S. Th. l. c. est idem cum igne inferni, de illo Aug. lib. de vera & falsa poenit. *Excedit omnem poenam quam unquam aliquis passus in hac vita, etiam Martyrum tormenta* S. Th. l. c. *Duplex est locus purgatorii, unus secundum legem, alter juxta dispensationem Divinam.* Hinc aliqui in terra purgantur. Sciunt verò ibidem quis pro illis aliquid faciat boni. Aug. l. c. vel quia DEUS revelat hoc illis, vel quia nunciant Angeli, aut animæ ex hac vita venientes.

Pro iisdem.

Venit ad nos mendicatum æger, sed ita febris ardens ut manus instar ferri candentis ardeant, oculi instar carbonum,